

Universitätsbibliothek Wuppertal

Ivstiniani Avgvsti Historia

Procopius <Caesariensis>

Lugduni, 1594

Prooemium

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-147](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-147)

AGATHIÆ SMYR-
NÆI DE BELLO GO-
THORVM. ET ALIIS
Peregrinis historiis,
Libri V.

PER CHRISTOPHORVM

Personam Romanum, priorem sanctæ
Balbinæ, à Græco in Lati-
num traducti.

* * *

PROOEMIUM.

BREVIARIUM.

I *Agathie præfatio in laudem historiae, quam philosophia civili exæquat. Prima Agathie studia: cause item cur ad historiam scribendam animum adiecerit.*

2 *Initium Agathiane historiae que Procopianam (cuius subijcitur epitome) persequitur.*

3 *Tota Gothorum rege in acie caso, pacis condi-*

tionibus repudiatis Gothi ad novos motus se accingunt.

4 *Ad Francos, quorum laudati mores luculenter describuntur, subsidij obtinendi gratia, Gothica legatio.*

5 *Qualis tunc fuerit regni Francie status, & Theodiberti regis in Iustiniani imperatorem ardua consilia.*

AA.j.

6 Prolixa oratione Gothi Francorum auxiliū aduersus Græcos implorant, & impetrant.

7 Leutharis & Bultinus, genere Alemanni, Francorum nomine cum Gothis fœdus ferunt. Ideo de Alemanorum origine & moribus narratio subiicitur.

8 Franci sub Leuthari & Bultino contra Narsetem Gothis militant. Cumarum obsidio. Aliyerni Gothi bellica fortitudo.

9 Narsetus Strategema, varia sed irrita Cumarum oppugnatio. Vrbium variarum deditio.

10 Lucenses promissorum oblitos callido commento Narses exagitat, & ad deditioem allicit.

11 Exercitus à Nar-

sete in Aemiliam missus res gestæ, ductu præsertim Fulcaris Erulorum præfæcti, cuius virtus & mors egregia describitur.

12 Narsetus insignes virtutes, & militaris concilio aduersus Locenses obsessus.

13 Eiusdem consilium ut rem in tuto locaret. Stephani legati oratio & industria. Luca oppugnatio atque deditio.

14 De bello persequendo Narsetus rationes. Huic se dedit Aliyernus Gothus, & Franciscis deinde insultat, à quibus proditionis insimulatur.

15 Francorum copie Ariminensem agrum populantur, spectante Narsete, qui cum equitatu hostes adoritur, & ingenti clade afficit.

Præfatio in laudem hystorie.



PERAEPRECIVM in bello victoriæ sunt, trophæa, vrbiumq; exædificationes, & ornamenta, cuncta denique, quæ vel magnitudine præsentent, vel digna sint laude. hæc ferme & istiusmodi cætera adeptis iam & gloriam afferunt, & voluptatem: mortuos verò, & ad vitam aliam abeunt-

tes,

res, haudquaquam sequi facile volunt, quin potius obliuio mox interueniens, occultando auertit veros rerum gestarum euentus, & vbi e vita excefferint, qui eas nouerunt, abscedit simul, & fugit vna obliterateda cognitio, sic fit, vt nuda recordatio quædam & simplex, inutilis sit, & plane inconstans, ita vt nequeat profus in longum extendi tempus. Ipse vero haudquaquam existimauerim vllos hominum, aut pro patria subiisse pericula, aut alios suscepisse labores, quum essent non nescij, quod si vel maximas gesserint, deperituram secum vna quandoque & gloriam esse, defluxuramque breui, vt quæ eorum duntaxat vitæ curriculo dimensa sit, nisi quis (vt apparet,) prouidentia quadam diuinæ naturæ obfirmante fragilitatem, quæ historiæ insunt, quæue ex ea sperantur, superinduxerit bona. Non enim coronæ ob gratiam, quæ ex oleastro, vel apio constet, Olympionicæ athletæ in palæstris exuebantur: nec bello boni decertatores exuuiatum de causa assequendarum, & futuri mox lucri auiditate, in prompta sese & aperta discrimina ingerunt: sed ob firmiorem immortalémque gloriam, qua frui haud sanè aliter queunt, nisi accedat historia, quæ ipsos faciat immortales: non vt Zamolxidis instituta, & Getica desipientia faciunt, sed modo quoquam diuino & immortalis, & quo solo mortalia ista viuere perpetuo possunt. Non igitur facile fuerit omnia explicare, aut enumerare, quot bonis historia humanam expleat vitam; & summam vt dicam, civili philosophia haud longè inferiorem hanc duxerim, ni fortè plus aliquid conferat. Siquidem hæc ipsa historia haud secus ac domina, nec nutuabunda quidem, nec adulatrix, iubet plerumque & plane constituit, quibus nam sit inherendum, quæue sint fugienda; & perinde necessitate persuadendo immiscet, in animos se dum

Fama perennis in hominibus desiderium.

Historia ciuili philosophia par.

insinuat, virtutemque collocat, ubi plurimum allucibili v-
 titur oratione, vel exemplorum varietate, veluti condi-
 mentis, quæ narratur, excollit; ea dicendo confirmans, in
 quibus homines rectiore consilio usi, vel æquitate proba-
 tiores sint redditi, vel forte pro cuiusquam sententia, siue
 fortuna duce & hac aduersante falsi quandoque à recto
 decoroque aberrauerint. nam mortalium animis est illud
 precipue instum, ut ad virtutem inclinent, & ultra hanc
 appetant. Ipse igitur hæc iam pridem animaduerten-
 s, & admiranda esse maximum in modum rati-
 tus, collaudandos existimaui, vt in omnes benefi-
 cos, qui tale aliquid scribendo elaborarunt, sed mi-
 hi haudquaquam antehac visum, id vt laboris ag-
 gredeter, vel à principio attentarem. fueram nan-
 que vel in primæua illa mea ætacula heroicis mo-
 dulationib. apprime deditus, & poëticæ artis sua-
 uitudinibus delectabar, atque adeo, vt in hexame-
 tro breuia poëmata quædã ediderim, quæ Daphni-
 ca nuncupantur, amatoris fabulis variata nonnul-
 lis, & eiusmodi plena deceptiuntulis. Et sanè tū
 primum dignum id laude videbatur, & nihil ingra-
 tum, si ea, quæ apud quosdam recēs conscripta es-
 sent, nec in apertum à nonnullis vt missitantibus
 ederentur, in vnum, vt cunque liceret, colligerem;
 & singula quæque ordine suo distincta perscriberem;
 & id quidem mihi sedulo factitatum. Hic igitur
 nostra ætate, vbi magna vnde quaque terrarum
 bella ex insperato contigerit erupisse, excirique
 sedibus suis barbarorum nationes non paucas, &
 rerum gestarum fidem vix capientium, absurdio-
 res constet fuisse euentus, temerariosque, & di-
 uersos fortunæ casus, generationes prætereæ ad
 internecionem attritas, & vrbes captas, traductos-
 que aliò incolas, atque adeo, vt commota omnia
 par sit ea facta, quæ vt ingentia sunt & miranda, ita
 & posteris

Agathia
 prima stu-
 dia.

Agathia
 Daphnica.

Causse, cur
 ad historiã
 scribendam
 animũ ad-
 iecerit.

Historiarũ
 argumenta.

& posteris profutura, in explicata relinquere, ac silentio præterire.

2. QUOCIRCA non indecens fore existimai, utcumque illa periclitando perscribere, ne omni vita in fabulis & superuacaneo quodâ labore consumeretur. & quâuis haud prius me ad historiam conscribendam contulerim, quàm Iustinus ipse, & iunior, Iustiniano suo iam fato perfuncto imperiû gubernaret, recurram tamen ad tempora ipsa superiora, ita ut quæ alius nemo scribendo elaborauit, proprium opus facturum sim: tamen si pleraque Iustiniani tempore gesta, quæ Procopius Cæsariensis rhetor diligenter conscripsit, prætereunda nunc videantur, ut per eum sufficienter iam explicata: quæ verò deinceps sunt subsequuta, pro virib. mihi narranda desumpsi. Cæterum Procopius ab Arcadij morte exorsus historiam est, qui Isidorigi Persarum regi & imperij procuratione, & * Theodori filij curam reliquit; & ab his insuper, quæ Urbano Perozôque acciderent. Narrat præterea, quem admodum * Cauades Imperator creatus regno priuatus sit, quod statim recuperauit. Vique & Amidam Anastasius Romanorum rex ceperit, & post hunc item Iustinus Imperator & senior, eadem in re ut plurimum insudarit. Post hæc Persarum prælia explicat, & quæ Iustinianus Imperator aduersus Cauadem Cosroémque reges circa Syriam Armeniamque, & * per Pelasgorum confinia gesserit, utque Vandalorum Gelimer, id loco est nomen, * Carchedónque vrbs, & Afrorum regio omnis per Bonifacium Gesericumque præfectos post defectionem multis post annis Iustiniano in seruitutem concesserint, quum alias quondam sub Romanorum fuissent imperio, delectisque Vandalis, quæ nã gens illa siue intulerit, siue perpeffa sit mala, quum in Libya & multis in locis contra Ro-

*Initium hie
storia Agathinæ.*

*Procopiana
se continuaturum promittit.*

*Epitome
Procopiana
historia.*

** Theodosij.*

** Idem qui
supra Cabades.*

** per Abasgorum.*

** Carthagoque.*

manos acie instructa processerit; utque Stozas ille & Gontharis, & si partium Romanorum fuissent, tyranni tamen iam facti ingērium calamitatum & seditionū Libys causam præbuere. nec prius sedata sint mala, quam viri isti deperderentur. Ciuilē præterea scribit Byzantiū aduersus imperatorem seditionē exortam, maximum processisse in malum, & dāno Rempubl. affecisse, factāsque per Hunnos incursionēs, qui ea tempestate Histrum flumē transfressi Romanum imperiū acerbissime deuastarint, Illyrios, Thefalōsque, & Europæ alia pleraq; depulati, & Asiæ partem nonnullā, in Hellepontum transferint: Surorūq; urbē in Syria Berrhœaque, & ad Orontem fluiuium Antiochiā hostiliter fuisse a Costoe Persarū rege deletās, Edessāque ciuitatem obsessā, a qua postmodū depulsus abscesserit. Poterunt igitur ex Procopij scriptis, non solum hæc noscitari: sed Æthiopū Homeritarūq; acies peruideri, & causa simul, quæ utræque hæc gentes ad inimicitias uenerint. Quam multa ille de morbo pestilentissimo disseuit, qui tūc temporis in genus humanum irrepserat, & quam absurda cum eo simul inuaserint. Poterit deinceps ex eodem ipso Procopio colligi, quemadmodū multa & Arenuē

* *Laſorum.* Romanus exercitus circa * Alazorum castella, & Petræ præsidium aduersus Chorianē, & Mermroem, Persarūque multitudinem gesserit. Porro transfessus ad Occidentis plagā, haud quaquam præterit, Theodericum Gothorum regē excessisse ē uita, cuiusque * filium Aminundā per Theodatum quendam * occisum, unde & Gothicum bellū eruperit. Nec planē omisit Wittigem quempiā, qui post Theodatum Gothorū potitus imperio est, per Belisarium præfectū post multa certamina bello fuisse deuictum, Byzantiūque demum ad imperatorem trāsmisum; Siciliāque, & Romā, & uniuersam Italianam

* *filium A
malasuntā.
* occisam.*

Italiam barbaris peregrinis eiectis, iteratò patrium & pristinum decus recuperasse; Narsetémque eunuchum liberæ mox potestatis præfectum, aduersus Totilam Gothorum imperatorem creatù egregie bella gefisse. Post hunc * Phredigerni Teiam, * *Fredigerni filium Teiam.* Gothorum suscepto imperio, fuisse haud lôge post interfectum. Hæc omnia ad annum vsque vigesimum sextum imperij Iustiniani sunt gelta. Denique Procopius Rhetor in his finem historix fecit. Ipse verò ad ea, quæ ex his ipsis dependent, & subsecuta postmodum sunt, explicanda accedâ, hincque mihi initium historix sumam.

AGATHIÆ HISTORIA
RVM LIBER I.

3



EIAS post Totilam Gothorum dux factus, in vnum contractis iâ exercitibus, aduersus Narsetém Romanòsque vniuersis viribus bellù parauit, in eoque ad interneconè deuictus præliàs cadit. Qui verò ex prælio & si non multi, superfuere; Romanis instantibus, nec fugæ spacium permittentibus, crebris tamen oppressi incurfionibus, vbi in loca aridiora se coëgissent, à Narsete has pacis acceperè conditiones, vt suas terras liberè & sine formidine regerent, Romanorum tamen Imperatori obedienter tributa dependerent. Quù itaque hisce in locis res prosperè cederent, visum est omnibus belli finem Italiam de cætero habituram: quum id alioquin alterius belli principium esset, atque adeo vt planè autumem, nunquam nostrum id seculum mala huiusmodi relictura, sed permanfura perpetuò, & in maius hæc semper

Teia Gothorum regis clades.

Pacis conditiones Gothis data.